Tentamen Medicum de Variolis. — 1767. —

TENTAMEN
MEDICUM
DE VARIOLIS,
CUI ACCESSIT APPENDIX
DE VARIOLARUM INOCULATIONE,
SEU INSITIONE,

QUOD, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce & auſpice Dei-parâ, propugnare conabitur

AUTOR

FRANCISCUS BERTHELOT DE BEAUREGARD, Bercorienſis, apud Pictones, Diœceſis Rupellenſis, Artium Liberalium Magiſter, nec-non in Almâ Univerſitate Monſpelienſi jamdudùm Medicinæ alumnus, die   menſis Februarii anni 1767.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.




MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXVII.


LIBRARY



Baumés fecit *Monspelii*



ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

CAROLO-LUDOVICO-ANTONIO-GENOVEFÆ

MARCHIONI DE MONTAIGU,

COMITI DE LA CHAIZE,

D. DE CIRIERES, MONTIGNI, BRETIGNOLLE,

CHAVAGNE, LA CHAUSSE'E, LA BOBINIERE,

LE BEIGNON, &c. &c. &c.

GRAVIS ARMATURÆ MILITUM VEXILLARIO.

MECENAS ILLUSTRISSIME,

Egregio nomine tuo decorari frontem opuſculi mei quod benignus annueris, mira gratum pectus pertentant gaudia, nec tacitum; quid enim ſilerem in tam vaſtâ rerum dicendarum ſegete? Quò præſtantior videberis Avorum antiquiſſimis ſtemmatibus, exemplis, intemeratâ fide inſignique pietate ergà

Regem, Patriam, certo ergà clientes patrocinio, ergà omnes benignissimâ Comitate; eò major in me redundabit honoris dulcissimi titulus, cui favere imprimìs dignatus es: dicam ergò.... Sed dicturum protinùs moratur modestia virtutum tuarum integerrima comes, cui malè si palpere, recalcitrat undiquè tuta; *urgentiùs cohibet haud vanus timor, ne mei culpâ ingenii deterantur laudes Tullianâ facundiâ celebrari dignæ. Silebo itaquè invitus satìs superquè nota omnibus queis datum est vel tantispèr ore tuo frui. Ast gratissimos sui ergà te affectus, intimâ veneratione omnigenoque obsequio signandos ubivìs, nuspiàm silebit,*

MECENAS ILLUSTRISSIME,

Tibi Cliens addictissimus
obsequentissimusque

FRANCISCUS BERTHELOT.

Dabam Monspelii die mensis
Februarii anni 1767.



TENTAMEN MEDICUM DE VARIOLIS.

Articulus Primus.



ORBUM hunc eſſe novum, hoc eſt, antiquis Medicis tam Græcis, quàm Romanis ignotum, extrà dubium eſſe videtur, quidquid contrà aſſerant quidam autores, inter quos ſummum *Riverium* nominaſſe ſatis ſit. Credibile etenìm non eſt primos illos artis Medicæ Magiſtros, in ſignis morborum omnium deſcribendis & diſtinguendis diligentiſſimos, morbum tam atrocem & contagioſum, ſi agnoviſſent, non fuiſſe depicturos.

Ex Arabum igitùr autorum libris petenda eſt prima hujus-ce morbi notitia;

inter hos *Rhaſes* in libro ingenti, cui titulus *Continens*, *Acaronem* quemdam tradit triginta libros de Medicinâ ſcripſiſſe, in quibus ſigna Variolarum, genera diverſa & curandi modum explicuit. Is Alexandriæ natus, *Mahumede* Imperante, anno DCXXII Medicinam exercuit. Hìnc conjicit Illuſtr. *Freindius* in Ægypto fortaſſe prima exordia habuiſſe Variolarum morbum. At paulò antiquiorem reperit ejus originem in Arabicis Doctiſſimus *Joannes-Jacobus Reisk*, qui in veteri codice Arabico manu ſcripto Bibliothecæ Leydenſis, hæc verba ſe legiſſe dicit: *hoc demùm anno comparuerunt primùm in terris Arabum Variolæ & morbilli.* Annus ille erat poſt Chriſtum natum DLXXII.

Circà autèm ſæculum ſeptimum, ex Aſiâ in Europam, cùm bella *Croſades* dicta vigebant, advectus fuit ille morbus; ex Europâ verò in Americam deductus, quo tempore *Fernand* aut *Ferdinand Cortez* Mexicanam Carolo V. Imperatori ſubjecit, anno MDXXI.

Variolæ, gallicè *petite Vérole*; Occitanis plurimiſque aliarum Galliæ Provinciarum incolis *Picotte*; *Bocten* Germanis; *Smallpox* Anglis; *Vaïola* Italorum; ſunt genus phlegmaſiæ exanthematicæ ſæpiùs

epidemicæ, cujus eruptio in puſtulis phlegmonodæis ad ſuppurationem tendentibus, piſi magnitudinem demùm æquantibus, conſiſtit.

Tertio aut quarto ut plurimùm die ab invaſione febris inflammatoriæ, erumpunt phymata inflammatoria, per faciem primò, deìn per collum, pectus, manus, tùm per totum corporis habitum diſperguntur; ad octavum uſque diem rubent, inflammantur; tùnc incipiunt albeſcere, exaſperari, in ſuppuratum tendunt. Undecimo circitèr die rumpuntur abſceſſuli, & humor quidam luteus, puriformis, à flavo non abludens, quandòque, ſed rariùs pellucidus, evomitur. Pus iſtud Varioloſum adeò viſcidum eſt, ut cruſtas efformet, ſub quibus deliteſcit pus acre, ſubjectas partes fodicans, foveaſque difformes relinquens. Sunt hæc varia ſtadia, quæ ſucceſſivè phymata Varioloſa percurrunt.

Articulus secundus.

Differunt Variolæ à rubeolâ, quod papulæ rubeoloſæ in cuticulæ furfuraceam deſquammationem vergant, præcedatque coryza, epiphora, tuſſis; quod præludium vix unquàm Variolas præcedit; differunt à

peſte, quod in peſte erumpant bubones vel anthraces, in Variolis puſtulæ ſensìm creſcentes, ſuppurantes, deìn cruſtaceæ, quibus elapſis remanent in cute foveolæ; à *pemphygo*, gallicè *fiévre véſiculaire* dicto, quod pemphygus bullas vel veſiculas aquâ plenas nuculæ magnitudine profe-rat; &c.

Variolæ aliæ ſunt diſcretæ, quarum puſ-tulæ ab invicèm remotæ & diſtinctæ ſunt; harum aliæ ſunt benignæ, abſque adjuncto periculo ſua ſtadia decurrentes, & ità mi-tes quandòque, ut tacti puelluli vix febri-re videantur, & per plateas abſque noxâ divagentur; aliæ malignæ, quæ dùm ſua tempora abſolvunt, urgens imminet vitæ periculum. Aliæ ſunt confluentes, quarum puſtulæ benè multæ invicèm cohærent, unicamque cruſtam efformare videntur. eamdem patiuntur in benignas & malig-nas diviſionem confluentes, ac diſcretæ Variolæ: cum eo licèt diſcrimine, quod confluentes ſint periculoſiores diſcretis. Quandòque tamèn in peculiaribus quibus-dam epidemicis conſtitutionibus obſervare eſt confluentes Variolas periculo deſtitu-tas, dùm diſcretas periculum ſubſequitur. Notare hîc expedit confluxionem æſtimari ex modo, quo phymata Varioloſa in facie

ſeſe produnt ; ſi enìm in facie confluxerint, utut in reliquo toto corpore diſcretæ, confluentes dicuntur, & vice versâ.

Aliquandò puſtulæ duriſſimæ ſunt, in ſuppuratum difficilè abeuntes, ſed progrediente morbo deciduæ, verrucarum formam induentes, & ideò *verrucoſæ* dictæ. Aliquandò liquore lympido turgidæ pelluceſcunt, bullam cryſtallinam æmulantes, undè illis *cryſtallinarum Variolarum* nomen ; ſolent eſſe peſſimæ indolis. Quandòque benemultæ puſtulæ ità invicèm cohærent, ut in unam duæ treſ-ve coaleſcant, aut ſaltèm in facie in corymbos ſint aggeſtæ, tùnc *corymboſæ* dicuntur. Hæc ſpecies eſt 4a. confluentium malignarum *Helvetii* ; gallicè dicitur hæc ſpecies *petite Vérole à placards.*

Plurimæ ſunt aliæ Variolarum ſpecies, quas hîc tantùm per tranſennam enumerare ſufficiat ; nil enìm ultrà ſinunt arctiores hujus tentaminis cancelli. Qui plura hâc de re deſiderabunt, adeant noſologiam methodicam, autore hujuſ-ce licæi Profeſſore Medico Illuſtriſſimo D. D. *Boiſſier de Sauvages.*

INTER DISCRETAS :

1a. Species : Variola lymphatica, *petite Vérole volante*, vulgò *Verette* & *Verolette* gallis.

2a. Variola benigna, 1a. Helvetii ſpecies, regularis Sydenhami, *petite Vérole diſcrette ſimple.*

3a. Variola complicata, Helv. 2a. ſpecies, *la diſcrette compliquée*, anomala Sydenh. *petite Vérole diſcrette maligne.*

4a. Variola dyſenteriodes Sydenh. *Conſt. ann.* 1670.

5a. Variola veſicularis Mead. *Cryſtalline diſcrette.*

6a. Variola ſiliquoſa Mead.

7a. Variola miliaris, 3a. ſpec. Helv. *petite Vérole très-diſcrette, véſiculaire & pourprée.*

Ad Variolas diſcretas benignas plerùmque ſpectat inſititia Variola; ſed de iſtâ ſpecialiùs erit quæſtio in ſequentibus.

INTER CONFLUENTES:

1a. Variola confluens, *petite Vérole confluente ſimple* d'Helvetius 1a. ſpec. confluentes regulares Sydenh. Freind.

2a. Variola cohærens, 2a. ſpec. confluentium malignarum Helv. *petite Vérole cohérente.*

3a. Variola nigra Sydenh. 3a. ſpec. confl. malig. Helv. aliis Variola ſcorbutica, *petite Vérole noire ou ſcorbutique* Sydenh. ann. 1674.

Si Variolæ ſtadia ſua uniformitèr de-

currant, *regulares* dicuntur; quæ autèm decurſum ſuum abſolvunt cum intercurrentibus ſymptomatibus à febre putridâ putà, vel malignâ ortis, *anomalæ* appellantur.

Petuntur & quoque Variolarum differentiæ ex modo quo propagantur; hìnc ſi paucos afficiant in urbe, *ſporadicæ*, ſi plures invadant, *pandemiæ*, ſi è regione in regionem graſſentur, *epidemicæ* dici ſolent à Medicis.

Articulus tertius.

VARIOLÆ regulares cum horrore, rigore invadunt, quos mòx excipiunt cephalalgia & lumbago graviores, calor maximè intenſus, vomitio, ingens in adultis ad ſudores, & in pueris infantibus-ve ad diarrhæam propenſio, doloris ſenſus in partibus quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent, ſi manu prematur, ſtupor etiàm & ſomnolentia in infantibus præprimìs, quandòque ecclampſia, ſeu convulſio.

Quoad eruptionem; quarto ut plurimùm in diſcretis, & tertio in confluentibus die ab invaſione morbi, erumpunt phymata Varioloſa, hæc in confluentibus ſuperficiaria, contigua, tumente adeò facie, ut

non malè veſicam inflatam rubram referat; in diſcretis verò puſtulæ apparent ſubrubræ, quò ſeriùs, eò meliùs, intrà datos limites. Puncticula ſeu maculæ rubræ, acuminatæ, in quo à purpurâ differunt, initio rariores faciem, mentum, pectus occupant; ſensìm creſcunt puſtulæ, extuberant uſque ad ſeptimum diem, quo deſinit eruptio & incipit ſuppuratio. Pcr hoc tempus dolor fauces devaſtat, qui unà cum puſtulis ſurgentibus augetur, quæ in dies grandeſcentes, & in majus faſtigium elevatæ, cutem carneſque vicinas rubore afficiunt & inflammatione.

Octavo circitèr ab invaſione morbi die, quarto à puſtularum eruptione, ſymptomata quæ deferbuerant, denuò reviviſcunt, puſtulaſque ad laudabilem ſuppurationem deducunt. In genere diſcretæ puſtulæ hactenùs leves, rubræ, exaſperantur & albicant, baſim earum cingit circulus roſeus optimæ notæ. Factâ ſuppuratione, undecimo circumcircà die aperiuntur puſtulæ, & liquorem ſuum fundunt, miteſcunt ſymptomata, non ampliùs apparitura. Tùnc ut plurimùm prælapſum eſt omne periculum. Interìn tamèn in conſtitutionibus quibuſdam epidemicis obſervatum fuit, exſiccationis tem-

pore

pore febrem putridam ſuboriri ſecundariam, omnes fermè ægrotantes vario modo ad orcum ducentem; alii ſiquidèm febris intenſitate peribant: alii febre lentâ correpti conficiebantur: alii tandèm abceſſibus ſymptomaticis varia viſcera devaſtantibus abſumebantur.

Illuſtriſſ. *de la Mettrie*, in ſuo de Variolis tractatu, exiſtimat, poſt D. *Hecquet* quem ſecutus eſt, febrem ſecundariam Sydenhami non eſſe novam febrem Variolis ad finem perventis ſupervenientem, ſed tantùm recrudeſcentiam ejuſdem febris, quæ phymatum eruptionem præceſſerat.

Diſcreta benigna habet pyrexiam verè continuam, quæ in quibuſdam ſubjectis vix eſt conſpicua, & infantes more ſolito eſuriunt, impunè offas ſuas manducant, ludunt in lectulo ſuo, rident, maximè eruptione peractâ. Obſervatur tamèn, ſed raò, pyrexia remittens, ut amphimerina, quam vidit Celeberrimus hujus-ce lycæi Profeſſor D. D. *Boiſſier de Sauvages*, & triteophia, quam *Helvetius* obſervavit.

Datur varietas, in quâ 7°. die nulla ſuppuratio fit, ſed puſtulæ ſensìm terminantur, abſque ullo vitæ diſcrimine, & quandòque ſine pyrexiâ ſenſibili. Hanc varietatem *reſolutam* Angli *chichenpoches* appel-

lant; quod sedulò distinguendum est à retrocessu pustularum, qui in aliis speciebus aliisque stadiis accidit, & funestissimus est. *De his consulatur Helvetius.*

In confluentibus Variolis eruptio fit tertio die aut citiùs, & quò citiùs, eò magìs confluunt pejoresque sunt Variolæ. Interdùm tamèn, ratione doloris atrocis, ut nephralgiæ, lumbaginis, pleurodines cum vomitu, retardatur ad quintum diem. Symptomata non remittuntur ab eruptione, ut in discretis, sed ultrà perseverant. Febris singulis diebus vesperè exacerbatur, pustulæ confunduntur in vesiculam rubram, quæ totum vultum contegit, nec multùm ultrà superficiem cutis protuberant.

Sunt hæc Symptomata, quibus sese produnt Variolæ discretæ & confluentes, quibus adduntur symptomata duo, quæ Variolis confluentibus accidunt, haud minoris momenti ex *Sydenhamo*, quàm pustulæ ipsæ, vel tumor, vel aliud quodcumque ex prædictis: *salivationem* dico in adultis, & *dyarrhœam* in infantibus. Horum prius ità se perpetuum comitem Variolis confluentibus adjungit, ut vix unum prædictis Variolis laborantem videris, nullâ superveniente salivatione. Dicta salivatio nonnunquàm sub primum eruptionis tem-

pus ſe prodit, aliquandò verò non niſi uno duobus-ve diebus præterlapſis. Die autèm ferè undecimo ceſſat ſalivatio, & niſi tùnc creſcat faciei manuumque intumeſcentia, de ægro conclamatum eſt. Dyarrhæa non ità maturè infantes hâc Variolarum ſpecie laborantes ſolet invadere, ac adultos ptyaliſmus. Quo verò tempore ingruit, niſi ante ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit.

ARTICULUS QUARTUS.

QUOAD principia procathartica, nulla alia cognoſcuntur, præter vim contagii in conſtitutionibus epidemicis; nullus in ſex rebus ſic dictis *non naturalibus* error, ſuſcipiendis Variolis favere adhucdùm viſus eſt.

Infantes, pueri frequentiùs hoc morbo corripiuntur, ſed ità ut qui hoc morbo ſemèl tactus fuerit, ab illo deincèps ut plurimùm vivat immunis. Sunt tamèn obſervationes, rariores licèt, quibus evincitur eumdem hominem bis Variolis laboraſſe. adultos quandòque, raròſenes, rariſſimè decrepitos invadit hæc ægritudo, ubì verò eos adoritur, res periculo plena eſt.

Attendendo ad ſymptomata Variolis pe-

culiaria, & ad novam hujus morbi in Europam invasionem, quæ causis generalibus minimè possunt adscribi, necessariò cogemur recurrere ad causam peculiarem Variolas excitantem, quæ causa peculiaris *virû* aùt *miasmatis* nomine indigitatur apud autores. Quæ sit ejus essentia à priori demonstrari nequit: verùmtamèn prædicta symptomata trutinatìm pensitata videntur indicare seminium Variolosum ejus esse naturæ, quæ inflammationem concitet. Porrò inflammatio, seminii Variolosi soboles, varia erit pro variis principiis, subjectis, temperamentis, &c. Nùnc erysipelatum ritu confluens in temperamento fervido, bilioso, apud juvenes qui cibis aromaticis, liquoribus ardentibus prætermodùm indulsere, sanguinis acrimoniam satìs denotat; nùnc verò phlegmonum benignitatem æmulans, discreta in sanguineis, queis arridet vita deses & otiosa, dùm interìm cibis euchymis affatìm ingurgitantur, spissitudinem sanguinis designat.

Admisso autèm tali viru Varioloso, non facilè conceptu est quarè qui semèl Variolas passus est, per reliquum vitæ tempus ab iis immunis vivat; quod tamèn secùs accidit quotidiè apud alio viru infectos; sic qui jàm lue vereneâ tentatus

fuit, rursùs hâc poteſt affligi: quod ità eſſe infelix & frequentior teſtatur experientia. An adeſt præſens ſeminium, quod ubì diſſipatum eſt, nuſpiàm in ſanguinem denuò tranſmitti poteſt? An illud ſeminium à parentibus in prolem jure quodam hæreditario tranſmittitur? An à ſanguine materno fœtûs ſanguinem inficiente, originem ſuam ſumit hæc tetra lues, ut contendit *Riverius*? An caliditas & humiditas, quæ majores ſunt in infantibus, quàm in pueris, in pueris majores, quàm in adultis & sìc deincèps, in cauſam Variolarum eſſe poſſent, ut vult *Rhaſes*? Res ſcitu ardua, & tyronis haud par humeris onus.

De Variolarum contagio nihil eſt quod dicam ſpecialitèr, ut potè omnibus cognito, vèl rudioribus; id tantùm per tranſennam notare liceat, cùm D. *de Lamure* hujus-ce lycæi Profeſſore Regio Clariſſimo, & in rebus Medicis verſatiſſimo, (in ſolutione quæſtionis ſecundæ, pro Regiâ Cathedrâ vacante, per obitum D. *Gerardi Fitz-gerald*, ipſi propoſitæ,) nempè cauſam Variolas excitantem, qualemcumque demùm ſit, imò & vim ipſam contagii non ſufficere ad morbum talem per ſe producendum in eo, qui ſemèl vim hujus expertus eſt. Datur egregium exem-

plum à Celeb. Jurino communicatum Societati Londinensi, *transact. Philosoph. tom.* 2. mulier cuidam Varioloso assidebat; ille delirus factus lecto exiliebat, eamque cervice præhensam brachiis nudis complexus, pressit hujus frontem adversùs pectus denudatum, & pustulis Variolosis maturis coopertum, & in eo situ aliquandiù detinuit: exindè huic mulieri pustulæ suborta sunt in fronte & partibus posticis & lateralibus cervicis quas attrectarat æger, quæ omnes mutationes quas subeunt Variolæ, subierunt absque alio incommodo, & pustulis nullis conspicuis in aliis corporis partibus contactum Variolosi non expertis: hæc mulier Variolis laboraverat anteà, & quidèm confertis. *Vid. loc. cit.*

Articulus quintus.

Versatur Variolarum diagnosis, tùm circà dignotionem Variolarum antè eruptionem & tempore eruptionis, tùm etiàm circà diversas earum species.

1°. Quod attinet ad primum caput; vix certis dignoscuntur signis Variolæ, antequàm phymata Variolosa in conspectum se dederint; instantium tamèn Variolarum habetur certitudo quæ requiritur in praxi

Medicâ, quæque ſola haberi poteſt, ſi æger doloribus circà ſcrobiculum cordis, versùs lumbos, aùt caput angatur, ſi vigeat febris acuta, præ calore inflammatoriam ſapiens: ſi in infantibus maxima & inſolita adſit ad ſomnum proclivitas, in adultis verò ad ſudores propenſio: ſi adſint terrores in ſomno, ſternutatio & pandiculatio frequentes, ſpirandi difficultas, calor, rubor, & punctionis ſenſus in toto corpore, magna anxietas & inquietudo, lacrymæ involuntariæ, tumor quidam faciei cum aliquo rubore: ſi cum hisce ſignis, vigeat epidemica conſtitutio Varioloſa, & æger nuſpiàm Variolas &c. Tùnc ægrum Variolis laboraturum conjicitur. Utùt certiſſima videantur hæc ſigna memorata ſimùl concurrentia, aliquandò tamèn obſervantur, quin ſubſequatur Variolarum eruptio, & erumpunt aliquandò Variolæ, abſque eo quod præceſſerint hæc ſigna. Longè faciliùs & certiùs dignoſcuntur Variolæ, ubì ob oculos erumpentes puſtulas habemus, tùm ex ipsâ phymatum intuitione, tùm ex factâ ad alia ſymptomata attentione.

2°. Utrùm ex confluentium diſcretarumve numero futuræ ſint Variolæ, ad ſequentia ſedulò attendenti fortè patebit;

1°. Ad conſtitutionem epidemicam, quæ alterutri generi magìs favere videatur. 2°. Ad intenſitatem ſymptomatum. 3°. Ubì incipiunt apparere puſtulæ, ſi tertio ab invaſione febris inflammatoriæ die prodierint, has è confluentium grege cenſendas eſſe, ſi quarto die appareant, inter diſcretas annumerandas eſſe, multiplex docuit obſervatio *Sydenhamum.* Certior longè evadet diagnoſis, ſi jàm faciem phymata Varioloſa obſideant. Si enìm phlegmonulos æmulantia, ſub tumorum elatorum probè circumſcriptorum, à ſe invicèm remotorum formâ appareant, diſcretæ ſunt; ſi eryſipelatûm ad inſtar non multùm promineant, nullo limite ſenſibili circumſcriptæ, aliæ in alias confluant, ità ut tumorem eryſipelatodæum vultus referat, confluentes judicantur; atque ità ex facie, utì ſuprà innuimus, æſtimatur confluxio.

Inter ſigna quæ certiùs tùm Variolas imminentes arguunt, tùm bonam earum indolem prænuntiant, nullum conſtantius obſervavit *Sydenhamus*, quàm motus convulſivos in infantibus ſubortos, eâ quidèm lege, ut ſi veſpertinis horis motibus convulſivis conflictentur, ſequenti aurorâ erumpant Variolæ, & quidèm è diſcretarum genere.

An benignæ, an malignæ, an regulares; an anomalæ futuræ ſint Variolæ, ex peculiari conſtitutionis genio conjicere forſitàn poſſumus.

Articulus sextus.

Neminem fugit Variolas ominoſiores eſſe ſub ætate provectâ, quàm in infantili vel juvenili, quia teneræ ætati morbus hic eſt familiaris, & huic quaſi proprius. Variat tamèn prognoſis, pro variâ conſtitutione epidemicâ & ſymptomatum intenſitate. In genere, & conſtantiori lege, genus diſcretum parùm ſecum importat periculi, dùm econtrà confluentes nuſpiàm periculo deſtituuntur: niſi fortè excipias conſtitutiones epidemicas quaſdam, eaſque oppido raras, quibus conſtans lex invertitur, & periculum ſtipat diſcretas, dùm ſtadia ſua confluentes abſque periculo decurrunt.

Si primò altero-ve morbi die erumpant puſtulæ Varioloſæ, res eſt ancipitis aleæ, nec minùs periculoſa cenſetur tardior eruptio. Felicem eventum hariolari licet, ſi puſtulæ phlogodeæ ritè promineant. Multum terrorem incutiunt Variolæ Medico, ſi retrocedant puſtulæ, nullâ remanente cutis intumeſcentiâ. Febris poſt eruptionem

perſiſtens, morbum gravem minatur: nec vano metu Medicos terrent exanthemata atro-livida, vel gangrænodæa, linguæ labiorumque nigredo. Pro exitiali habetur mictus cruentus. Innoxia cenſentur catamenia inter morbi curriculum erumpentia. Inter calamitoſa recenſentur ſymptomata iſchuria, dyſuria & alvi fluxus nimius, præſertìm dyſentericus, ob puſtularum ſubſidentiam, quam poſt ſe trahit iſte fluxus, in ætate provectis præprimìs. Ptyaliſmus ſufflaminatus in adultis, vel dyarrhæa ſuppreſſa in infantibus funeſti perſæpè ſunt ominis.

Nec ferè ad finem pervento morbo, ideò in vado pronuntiandus eſt æger: alia pertimeſcenda adhuc ſuperſunt infortunia; accidit enìm quandòque ut exſiccationis tempore febris ſecundaria ſuperveniat, quæ ægrum vel promptæ morti tradit, vel lentà tabe conficit. Pertimeſcendi ſunt & quoquè abceſſus, nonſolùm partes externas invadentes, ſed ſæpiùs intrà viſcera deliteſcentes, gangræna & caries, aliique affectus exitiales; ut de cæcitate, ſurditate, crurum reſolutione, &c. nil addam.

Notare expedit hìc loci, quod quandòque Variolis comites ſe adjungant morbilli: quod variationi prognoſeos locum

dare poteſt; ominoſiores enìm cenſentur hujuſmodi Variolæ complicatæ. Clariſſ. *Ethmullerus* curioſam refert hiſtoriam feminæ, quam curavit, quæ uno corporis in latere Variolas, morbillos in altero gereret. *Sidobre* Monſpelienſis Doctor aſſerit ſe obſervaſſe, cum D. *de la Peyronie* in puero cujuſdam piſcatoris Monſpelienſis, Variolas unà cum morbillis vigere. Idem refert *Diemerbroek*. Cæterùm Variolis mox ſucceſſiſſe morbillos, morbillis Variolas, exempla habent *acta Med. vol. VI. pag.* 370. Illuſt. *de Haën* ſic loquitur: « puella habet » confluentes Variolas: hæc ubi febris poſt» ſuppuratoria deferbuerat, illicò morbillis » maximè epidemicis corripiebatur & mo» riebatur. » Idem ſe vidiſſe teſtatur *Harris* apud Sereniſſimam Anglorum Reginam. *De morbis acutis infantum lib.* 2°. *obſerv. VIIa. de Variolis anomalis, ſivè cum morbillis conſociatis.*

Autopſia anatomica docuit viſcera, pulmones putà, hepar, pancreas, ventriculum, inteſtina, &c. Papulis Varioloſis, à cutaneis vix abſimilibus obducta. His-ce etiàm puſtulis non nunquàm ſcatent trachéa arteria & bronchia. Prætereà paſsìm occurrunt infarctus & inflammationes, gangrænæ & putredines. Viſenda ſe præ-

bent omentum laciniatum & putridum; ſtomachus ulcuſculis exeſus &c.

Articulus septimus.

Ut ritè & prudentèr in Variolarum curatione nos geramus, quatuor earum ſtadia debent oculis objici, ut varias ex variis ſtadiis ſumamus indicationes, eaſque per varia medicamenta expleamus.

1°. Primum ſtadium illud eſt, in quo viget febris acuta inflammatoria, cum variis variarum partium doloribus: quæ febris cenſetur eſſe naturæ conamen ſeminii Varioloſi extricationem molientis; undè naturam pravos humores è bonorum ſinu ſegregantem, extricantem & ad corporis peripheriam amandantem ità judicare & juvare debemus, ut ipſius conatus vividiores exerentis vires imminuamus, eam verò tardiùs & inefficaciùs agentem excitemus, & calcari premamus.

Variolæ ſimplices, ab omni alio quocumque morbo abſtractæ, ſibimet ipſis ſunt relinquendæ; abigenda inutilis & ſæpè noxia remediorum farrago; diæta duntaxàt refrigerans, demulcens & humectans eſto.

Si omnia ferveant, vigeat febris acuta,

ſanguis mitti debet ſemèl, aut pluries è brachio, vel è pede, collo, maximè ſi vis morbi ad caput ferri videatur. His primis diebus potus demulcentes, diluentes, refrigerantes, mucilaginoſi affatìm & pluriès epotentur. Si ſymptomata videantur mitiora, parciùs ſanguinis miſſioni indulgendum eſt (niſi vires *oppreſſæ*, non *fractæ* videantur,) tùncque parcâ doſi non ſolùm mittendus eſt ſanguis, ſed & cum maximâ cautelâ, hoc eſt, ne ſanguinis miſſione vires ægri nimiùm fatiſcant: debiliores ſuſtentandæ ſunt uno aut altero cochleari aquæ vel potionis cardiacæ. Porrò ſub his circumſtantiis accidit aliquandò, ut miſſo ſanguine pulſus evolvatur, fortior fiat, vires cordis ſanguinis exuperantis copiæ regendæ anteà impares, jàm ſui juris factæ reviviſcant, & ſymptomata ad genuinam indolem accedant. Tùnc temporis emetica & cathartica adhibenda ſunt, quia hujuſmodi ſtatus vel febris putridæ, vel malignæ ſoboles eſt, & non certiora novimus adversùs has-ce febres præſidia; præstereà horum ope hoſpitans everritur ſaburra. Præferuntur autèm emetica, quia illis-ce agentibus non impeditur; imò fovetur & adaugetur tranſpiratio; ùt teſtatur mador, quo ſub actione emetici corpus ſuffunditur.

Notandum tamèn eſt, quod Illuſtriſſimus *de Haën*, in eximio ſuo opere, cui titulus *ratio medendi* &c. Emetica improbet, & quod iis nunquàm utatur, tùm quod juxtà eum, non minus fiat eruptio Varioloſa non propinato, quàm conceſſo emetico: tùm quod æquè certè frequentes ſint Variolæ benignæ, non datis, quàm datis emeticis. Cur igitùr, inquit, corpora torqueamus? Præſertìm cum motus vehementior excitatus, pluribus pejoribuſque Variolis producendis aptus natus ſit? Credit adſtipulari ſibi ſummum *Boerrhaavium*, altum de emeticis hoc in caſu ſervantem ſilentium; ſed juxtà eum conveniunt medicamina antiphlogiſtica, alvum leniſſimè ſubducentia, nitroſa, enemata ſimilia, tùm pediluvia, ſemicupia, aër humidus & temperatus, ut undiquè ſublatâ reſiſtentiâ, eruptio materiæ Varioloſæ fiat ad cutem commodiſſima. Pro ratione febris, venæ ſectiones repetuntur.

Quoad diætam, tenuis eſto: juſcula tertiâ quartâ-ve quâlibet horâ offerentur, potus parabitur ex incidentibus, blandis diaphoreticis, qualia ſunt capillorum veneris infuſum; decoctum ſcorſoneræ, bardanæ, raſuræ cornu cervi, radicis petroſelini. Si vires magìs defatiſcere videantur,

ad energetica cardiaca recurrendum: exhibenda interdùm cochlearia aliquot potionum cardiacarum, quarum compoſitionem ingrediantur pulvis viperæ, ſpiritus volatiles cornu cervi, &c.

2°. Commodè ſi exeant puſtulæ, ægros bis de die per ſemi-horam in calido pedum balneo, ad uſque genua & altiùs imponimus. Adhibetur autèm aut pura aqua, aut emollientibus cocta, aut miſta lacte. Alterâ à benè prodeuntibus die, exhibet Illuſt. *de Haën*, cum ſummo *Sydenhamo*, veſperè ſyrupi diacodii unciam unam, unciam unam cum ſemiſſe; idem & mane tertio incipit fieri, daturque ſempèr quâvis duodecimâ horâ paregoricum, ſique opus eſt, augetur. Quotidiè autèm, à morbi initio ad finem, enemata mollia, laxantia injicit.

Verùm ſi contingat, vel præ morbi vehementiâ, vel præ virium lapſu, eruptionem pro votis non ſuccedere, curam ad datam indicationem ſic dirigimus: ſi morbi ac febris violentia nimia-ve plethora in causâ ſint, mox vena ſecatur ſemel, iteratò, pluries-ve: venæ ſectio enìm ſempèr inſtitui debet quovis Variolarum ſtadio, urgente febre, peripneumoniâ, phrenitide. Sin verò debilior vita in causâ eſt, eam

tùnc cardiacis, vinofis maximè, erigere & excitare fatagimus. Mira hîc & veficantia præftant. Maximi & quoque momenti eft in hoc morbo aërem fæpiùs renovare & linteamina mutare.

3°. Quandò Variolæ erupere, congefta materies Variolofa acris fymptomata inflammatoria exfufcitat, febris recrudefcit neceffariò, ut materies Variolofa faciliùs & tutiùs eliminetur. Undè toti effe debemus, ut bonam fuppurationem inducamus, ad quam requiruntur calor & motus febriles, modò extrà juftos limites non excurrant, in quo cafu, nullo prorsùs medicamine naturæ opus interturbandum eft. Si verò timeatur ne minùs benè fiat fuppuratio, vel ex eo quod præpropero nimis paffu abfolvatur, vel ex eo quod tardigrada progrediatur, tùnc variis auxiliis funt adjuvanda naturæ conamina, ità ut languentia, quæ tardiorem inducerent fuppurationem cardiacis, fudoriferis exfufcitentur: vivida verò per ea auxilia compefcantur, quæ impetuofiùs circumacto fanguini fræna valent injicere. Hic audactèr mittendus eft fanguis, præfcribenda diæta demulcens, mucilaginofa: imò & fi pervigilium pertinax fuppurationem interturbare videatur, fyrupo de diacodio indulgendum. Sic fivè

languens,

languens, sivè vivida nimis suppuratio ad laudabilem indolem deducitur.

Juxtà observationes Doctoris *Thomæ Simsonis*, in Universitate Andreapolis Scotiæ Profess. Medici, syrupus de diacodio ægris non concedendus est, dùm suppurant Variolæ, nisi urgeant dolores atrocissimi agrypniæque pertinaces, quibus iu casibus mira præstat; imprudentèr verò adhibitus febrem auget deliriumque accersit. Id observare ipsi contigit anno 1729, quo Variolæ fuerunt epidemicæ & teterrimæ. Autor est, ut in casibus memoratis enema injiciatur, quod syrupi prædicti effectus adjuvet, hâcque ratione securiùs & tutiùs de ipsius effectibus judicare contendit. Inflationis tempore catharticum præscribit: observavit enìm purgationem in causam non esse retrocessûs pustularum, & alvi fluxu vel spontaneo, vel arte excitato Variolas felicitèr terminari, pluriès se vidisse testatur. *Consulantur hâc de re, si lubet, tentamina Medica Edimburgentia, tom. VI°. pag.* 144.

Si pustulæ non repleantur, aut circulus baseos pallescat, diaphoretici mineralis, vel pulveris besoartici, aùt de guttetâ grana aliquot sumantur.

Si excrementa viridescant, aut acidum

eructent infantes, potus absorbentes & anthelmintici identidèm offeruntur.

Plurimi autores, & quidèm maximæ notæ, inter quos primas tenent prælaudatus rationis medendi autor, *Joannes Marcquardus*, *Sidobre*, *Drelincour*, *de la Metrie*, *Tissotius*, *&c.* volunt ut tenero forfice exitus puri detur, in totâ facie præprimìs, aperiendò scilicèt pustulas Variolosas, cum maturæ videntur. Ex repetitâ, inquiunt, hâc apertione maxima exurgit, tùm ad venustatem conservandam, tùm ad morbum debellandum, utilitas; frequenti enìm illâ pustularum percissione earumque detersione, corpus ingenti puris copiâ liberatur: & sic puris retrocessum in massam sanguineam prævertere conantur. Illustrissimus autèm *Diemerbroekius*, in egregio suo de Variolis ac morbillis tractatu, eamdem condemnat, ut cutem deturpantem, & nimiam curam expostulantem.

4°. Deniquè ubi per tres quatuor-ve dies perduraverit hoc-cè stadium, rumpéntur abcessuli pusque eructabunt viscidum, cujus pars viscosior fluendi incapax in apertâ remanebit pustula, crustam efformabit, sub quâ pus latitabit, morâ acrimoniam concipiet, & hanc partibus subjectis infliget, quæ pruriginem excitabit intolle-

rabilem. Porrò tùnc temporis hûc collimare debet Medicus, ut cruſtas ad promptiùs decidendum determinet, & ſtrictum cutis ſubjectæ textum ità emolliat, ut minùs irritationis ſit capax. Ad hunc finem, oleo amigdalarum dulcium recentiſſimo, vel oleo ovorum, vel butyro inſulſo, vel de cacao ilinienda eſt ſæpiùs de die facies præprimìs. Hoc pacto remolleſcet cutis faciei textus, longè expeditior fiet puris expulſio, & proindè prurigo mitigabitur. Ubì autèm eò pervenere Variolæ, res *Naturæ* Medicorum *Corypheo* committenda eſt. interìm ſedulò cavebit æger, ne aëri frigidiori ſeſe exponat, ne fame preſſus cibis ſe ingurgitet: quod ſemèl in Noſocomio hujuſ-ce Urbis, in puero duodecim circitèr annos nato, obſervare mihi contigit. Hic jàm convaleſcens & lubentèr deambulans, in graviſſimum morbum, ex quo vix evaſit, poſt copioſiorem cibum, incidit.

Jamverò diſſipatis cruſtis, antequàm diæta fortis permittatur, prodeſt ſummoperè, quin & ſæpè neceſſarium eſt ſaburram in primis viis nidulantem, unâ aut alterâ potione catharticâ everrere.

In hoc ultimo ſtadio, dùm omnià benè ſeſe habere videntur, ſuboritur quandòque febris putrida deutheropatica, puris Va-

riolosi cum sanguine cæterisque humoribus intermixtioni debita. Hæc autèm febris, observante *Freindio*, nullis certiùs debellatur medicaminibus, quàm catharticis.

Si febris remittens, absolutâ exsiccatione, sui det indicia, ad kinkinam recurrendum.

Nota. In confluentibus Variolis, undecimo vel duodecimo die sistitur, vel saltèm lentescit oborta primis diebus salivatio; saliva viscidior facta hæret in conceptaculis suis, variæ glandulæ salivales distentæ tument, & inducitur nonnunquàm angina, symptoma periculosissimum: hunc anginæ statum comitantur stupor quidam, ineluctabilis ad somnum proclivitas: quibus omnibus, notante *Sydenhamo*, medetur vinum emeticum largâ sat dosi propinatum. Gargarismata ægro sunt imperanda, vel ex aquâ simplici mellitâ, vel aceto alteratâ, vel ex oximelle scillitico. Si ischuria accidat, æger è lecto eximatur & obambulet paululùm.

Si crurum tumor non evacuationibus præscriptis cedat, tùnc fotu foliorum malvæ, verbasci, sambuci, lauri, cum floribus chamæmeli & meliloti in lacte coctis facilè fugatur. *Sydenh. processus integri.*

Si oculis insint pustulæ, aut palpebræ

tumeant admodùm, citò infufio croci orientalis in aquâ rofarum intra palpebras immittatur, *ne fruftrà Medicina paretur, dùm mala per longas invaluere moras.*

In Variolis pertractandis, toto cælo inter fe differunt *Sydenhamus* & *Mortonus*; pofterior fiquidèm totus eft in ufu diaphoreticorum, quibus venenum Variolofum foràs eliminare nititur: præmiffis tamèn phlebotomiâ atque veficatoriis ad nucham atque pedes, nec non interpofitis, pro re natâ, anodynis, quibus etiàm cardiaca & befoartica addit, demùm bolis catharticis curam terminat. Prior autèm, per totum morbi curriculum, diluentibus & refrigerantibus ferè fempèr utitur. Huic adftipulatur *Tiffotius*. Verùm *Huxamius*, plurimis innixus obfervationibus, teftatur multos effe cafus Variolarum, in quibus maritandus eft curandi modus Mortoni, cum Sydenhamiano modo.

Methodus indica Daniel. Ludovici, *Collect. Acad. tom.* 3. *pag.* 338 ea eft, fcilicèt:

1a. Ab invafione morbi die, immerguntur Variolofi in fluminis proximioris aquâ.

2a. Die utuntur fero lactis acido pro potu.

3a. Die, cucumeres aceto conditi eſitantur.

4a. Die, erumpentibus Variolis, merguntur etiàm veſtiti in flumine, deìn in lecto ſuo reponuntur: hâc methodo utuntur in Inſula Javâ nigritæ, tùm ad Variolas, tùm ergà puerperas; morbus ſalubritèr ſua percurrit ſtadia; cicatrices verò relictæ albæ ſunt, qui color dedecorus ipſis videtur & ridiculus.



APPENDIX

DE

VARIOLARUM INOCULATIONE, *SEU INSITIONE.*

VARIOLAS humano generi maximè funestas periculosissimasque esse, extrà omnem dubitationis aleam positum est. Nulli morbo malignitate cedit, hominumque, qui è medio singulis tolluntur annis, decima ferè quarta pars lue Variolosâ perit, eorumque qui eâ laborant, septimus quisque ad orcum deducitur, collectis à D. *Jurino* in unam summam multis epidemiis. Familias integras contagio suo devastat, *Regum turres Pauperumque tabernas æquo pulsat pede*, videturque suam in divites lubentiùs, quàm in pauperes exercere barbariem. Hîc video filium deploratum, familiæ suæ spem unicam, à crudeli illo morbo è vivis sublatum: matrum tenerarum puellæ carissimæ mortem lugentium vociferationes, atque quos edunt ge-

mitus audire mihi videor. Sed quid moror in effingendâ tàm lugubri imagine! citò ad propositum nobis scopum revertamus. Itaquè, quid humanitati consonum magìs, & Medico societatis amanti dignius, quàm vitam similibus conservare, & quasi ineluctabilem removere mortem? Si hæc præstet Inoculatio, quis sanæ mentis illam poterit rejicere? Porrò id præstare, paucis probare conabor. De ejus origine primùm, deìn de methodo hanc peragendi simplicissimo dicendum puto.

Circassiorum hoc fuisse inventum credit Illustrissimus *Mead*; in usu enim est, apud hanc barbaram gentem, adolescentulas, præprimìs pauperiores, populis finitimis in servitutem à mangonibus vendi. Cùm igitùr advertissent eò minùs, tùm de venustate, tùm de vitâ periclitari omnes hoc morbo laborantes, quò essent ætate minores, excogitatus est hic modus in tenera adhùc corpora Variolas immittendi, quo merx vendibilior lucrum majus apportaret. Nec Medicis quidèm aut Chirurgis apud eos opus est, sed ipsæ mulierculæ id exequi didicere.

Cæterùm jamdudùm Constantinopoli & Smyrnæ ars hæc exerceri cæpta est; non quidèm à Turcis, ut volunt *Heisterus*, *Voltaire*,

Voltaire, aliique, quibus fato ineluctabili omnia in vitâ evenire opinantibus, ei obsistere atque occurrere religio est; sed à Græcis, Armeniis, aliisque ibì degentibus, qui cum nostratibus eamdem communicarunt.

Exemplum cæteris Europæ nationibus dederunt Angli, duce *Maitlando*. Hæc autèm methodus adeò felicitèr cessit, ut Angliæ Rex Potentissimus *Georgius primus* in totâ regiâ stirpe idem tentare nullus dubitaverit. Hanc haùd infelici successu tentarunt methodum Germani, præsertìm Hanoveræ & Pyrmonti. Hos imitati sunt Itali, Americani, Galli, nupèrque admissa fuit Genevæ, Nemausi, &c.

Modus hanc operationem peragendi simplicissimus est: scilicèt inseruntur brachio vel tibiæ Variolæ, ope incisionis pollicem longæ in cuticulâ factæ, cui superimponitur linteum carptum, pure è pustulâ Variolæ discretæ benignæ educto onustum, vel vesicatorii ope datur puri Varioloso aditus. Hoc verò contagio admisso, septimanâ vel octavâ die superveniunt rigor, calor & eruptio Variolarum, quæ discretæ & benignæ esse solent, modò infans ultrà quinquennium constitutus, bono & refrigeranti, non calido ut vult *Heisterus*, re-

gimine ufus fuerit, per quindecim circitèr dies à vino & carnibus abftinerit, aut purgatus, & aliquot jufculis diluentibus præparatus fuerit.

Ab erudito quodam traditur, (vid. *Lettres édifiantes & curieufes des Miffionnaires, XX Recueil, page* 304.) Ufum feminandi, ùt vocant, hunc morbum, à longo tempore *Sinenfibus* jàm notum fuiffe, qui & alio modo perficiunt; puftularum enìm aridarum, quæ à cute jam delapfæ fint, pelliculas aliquot vafculo murrino, ore cerâ arctè claufo, apud fe recondunt. Cùm Variolas igitùr cuiquam immittere volunt, harum pellicularum tres quatuor-ve, interpofito mofcho grani pondo, cum goffypio in turundam formant, quam naribus intrudunt. Poftrema hæc methodus graviora poft fe trahit fymptomata, ùt expertus eft Celeberr. *Mead*, in adolefcentulâ quâdam capite damnatâ, annos circitèr octodecim natâ, cui Variolas more Sinenfium inferuit. Incolumis quidèm evafit, ficutì & fex alii rei, quibus contagium more noftro immiferat, fed graviora omnia paffa eft; nam ftatìm à recepto naribus veneno, acutiffimis capitis doloribus, cum febre ad puftularum ufque éruptionem nunquàm intermittente miferè difcruciata

fuit : quod in priori methodo Inoculatis haud obſervavit.

Tria adhùc hîc examinanda ſuperſunt, ſcilicèt 1°. An Inoculatio ſit Variolis ſpontaneis longè minùs periculoſa. 2°. An Inoculati nihil à recidivâ timendum habeant. 3°. An Inoculatio validis propugnari poſſit argumentis. Tribus hiſ-ce quæſitis brevitèr, & quantùm in me erit nitidè reſpondere conabor.

1°. Ad primam quæſtionem quod attinet ; nil niſi experimenta, in auxilium vocare mens eſt. Conſtat ex calculis à diverſis Medicis, diverſis temporibus & locis inſtitutis, longè pauciores, proportione ſervatâ, Inoculatione, quàm Variolis naturalibus interiiſſe. Nam ex D. *Jurini*, Medici Doctoris, natione Angli, calculo conſtat 1°. Ferè decimam quartam hominum partem à Variolis ſpontaneis perire, ſaltèm in Angliâ, utì diximus. 2°. Sextam ſeptimam-ve naturalitèr infectorum partem mori. 3°. Ex eodem certum eſt, ex Inoculatione in Angliâ tentatâ, quibuſdam cum cautionibus adhibitis, nonageſimam tantùm partem è medio tolli. Quinimò ſi eligantur ſubjecta, ut fecit *Ramby*, vix milleſimus ad patres migrat. In noſocomio Inoculationis Londinenſi, ex 492 Inocula-

tis nupèr, unus tantùm obiit. Si aliqua D. *le Duc* est adhibenda fides, nullus ex sex Inoculatorum millibus periit, dùm intereà eodem anno, plus decem millia naturali laborantium epidemiâ fatis occubuerint. Ex quibus, minùs Inoculatis, quàm naturalitèr affectis imminere periculum, concludere pronum est.

2°. Inoculati à recidivâ immunes sunt; intèr enìm tot Inoculatos sivè infantes, sivè adultos, nullus adhùcdùm repertus est, qui Variolas de novo passus fuerit, licèt cum naturalitèr infectis vixerit, & cum ipsis decubuerit. Si autèm aliquod factum adversum relatum fuit, ejus possumus suspicari falsitatem. Etenìm juxta D. *Maitland*, unus ex sex reis naugeti in Angliâ detentis, carcere post Inoculationem passam solutus, multis Variolosis auxilium præbuit, & sempèr ab isto morbo evasit immunis. In Angliâ, ex pluribus Inoculatorum millibus, in epidemicarum Variolarum medio quotidie degunt, & nunquàm iis laborant; quod etiàm de Græciâ, Galliâ, aliisque regionibus dictum esto. Prætereà Inoculatio nihil præstat, in iis qui jàm Variolis spontaneis laboraverunt; nàm unus ex ipsissimet reis superiùs relatis, qui Variolas naturales jàm passus fuerat, abs-

que effectu Inoculatus fuit. Justâ D. *Kirkpatrik*, domina quædam Inoculata, reiterare Inoculationem tentans, ipsamet incisiones sibi fecit, Variolosumque virus ipsis incisionibus immisit, sed frustrà: quemdam tantùm capitis persensit dolorem mòx evanidum. Undè ex iis concludere evidens est Inoculatos nihil timendum habere à recidivâ.

Aliundè dato, non concesso, veram esse quæ refertur historiolam de puero quodam, in quo tribus circitèr annis elapsis, postquàm ab insitione morbum contraxisset, de novo proruperunt Variolæ; nil contrà nos. Nonne & etiàm habemus certas nec in dubium revocandas observationes, raras quidèm, quibus constat homines quosdam, qui Variolas spontaneas passi fuerant, rursùs iis fuisse infectos? quod sufficit, ut possimus affirmare non magìs timendum nobis esse à recidivâ Variolarum Inoculatarum, quàm à spontanearum. Si enìm tale semèl evenerit, cur frequentiùs idem evenire non videmus? Et quid valet singulare exemplum, certum licèt & exploratum, cùm in aliis ferè innumeris id genus experimentis, nil tale unquàm usu compertum sit?

2°. Quoad objectiones quibus insitio-

nem arguunt antinoculatores, eas ad quatuor præcipuè capita, brevitatis causâ, reducimus: ſcilicèt 1°. Inoculatio, inquiunt, religioni adverſatur. 2°. Variolæ Inoculatione communicatæ, non ſunt veræ Variolæ. 3°. Ignoratur vera virûs Varioloſi doſis, eſtque metus, ne major, aut minor adhibeatur. 4°. Tandèm, ne cum Variolis alii morbi communicentur. His tantùm quatuor præcipuis objectionibus, quantùm in me erit, reſpondere conabor. qui autém plura hâc de re noſſe cupient, conſulant Inoculationis fautorum opera Medica, & præprimìs opus à D. *Petit*, Doctore Medico Celeberrimo, noviſſimè typis mandatum, theſimque in hoc-ce lycæo Medico propugnatam, cui titulus *de Variolarum extirpatione quærendâ primùm, &c.*

1°. Inoculatio religioni adverſatur. Nàm, inquiunt adverſarii, malum, ut aliquid boni exurgat, alicui inferre per noſtram religionem non licitum eſt; porrò ex inſitione poteſt aliquod malum exurgere, ſiquidèm multi Inoculati mortui ſunt, qui fortè per totam vitam à Variolis ſpontaneis immunes vixiſſent, aut ab iis incolumes evaſiſſent, &c. Hæc eſt Theologorum moralium ſpecialis objectio.

Hæc autèm, ni fallor, ſic ſolvi poteſt. Non equidèm licitum eſt facere malum morale, ut indè exurgat bonum Phyſicum, nec morale; V. G. non licitum eſt adulterium committere, eo ipſo præciſè, quod maritus impotens ſit, & ne, deffectu hæredum, hæreditates ad extraneos tranſeant; ſed licitum eſt malum Phyſicum facere, ut exindè exurgat bonum morale, vel bonum Phyſicum majus. Sic Provinciam peſte infectam circumvallimus, omnemque qui metas vult tranſgredi, abſque ullâ commiſeratione interficimus, licèt peſte nondùm ſit affectus, & forſitàn, ex Divinæ Providentiæ Decreto, peſtis ad vicinas Provincias non proveniſſet; ergò à ſimili, &c. Sed nédùm Inoculatio ſit malum morale, quin etiàm non eſt malum Phyſicum. Si enìm eſſet malum morale, vèl ex intentione Medici Inoculatoris, vel ex ipſius negligentiâ; ſed prius dici nequit, & poſterius per ſelectum Medici diligentis poteſt anteverti; ergò non eſt malum morale. Non etiàm ferè dici poteſt malum Phyſicum, ſaltèm relativè ad malum præviſum; hâc enìm à fermento quodam ſanguinem ſeriùs ociùs infecturo liberamur, ità ut ipſius poſſit dici antidotum; ſed quis ſanæ mentis rejecit antidotum? Ergò &c.

2°. Dicunt Variolas insititias non esse verum & geninum morbum Variolosum; ideòque neminem hoc experimento à Variolis in posterùm tutum præstari. Verùm, quî fieri possit, ut contagium, hoc est, ipsum Variolarum semen, non suum, sed alium dissimilis generis morbum procreet? Planè non intelligitur; hæcque objectio ex ipsismet nostris adversariis destruitur; siquidèm conqueruntur in novâ Angliâ naturales propagatas fuisse Variolas ipsâ insitione, eamque ipsam contagiosam esse dixerunt, &c. Aliundè experimentis certum est virus Variolosum ex Inoculatis desumptum, idem præstare, ac virus Variolarum spontanearum; ergo &c.

3°. Quoad tertiam objectionem, futilis & parvi momenti deprehenditur experimentis pluries repetitis; qualis enìm cumque dosis adhibita fuerit, eadem præstasse, observatum est; undè nullus est metus, ne minor major-ve dosis inseratur.

4°. Tandèm pergunt nos deterrere Inoculationis hostes infensissimi, dùm metum subesse volunt, ne fortè simùl cum Variolis, alius quidam morbus contagiosus, qui sanguini & humoribus ægri inhæserit, in sanum inoculandi corpus transferatur, eò quod subtilissimum & mirè actuosum

sit

ſit omne contagium. Sed vix crediderim id unquàm fieri, ut unius morbi ſeminium, alterius qui diverſæ naturæ, genitalem materiem ſecum ferat commixtam. Utcumque autèm res ſit, non maxima eſt ratio, ut rejiciatur Variolarum inſitio. Medicus enìm Inoculator, in arte ſuâ peritus, Variolas per Inoculationem non immittit, niſi ſelectu facto. Accommodatiſſimæ ſunt ad hunc uſum infantium aut puerorum, cæterà ſaniſſimorum & parentibus, quoad fieri poterit, ſanis prognatorum, Variolæ. Aliundè obſervatum eſt, inquit D. *Buchoz*, in libro, cui titulus, *Traité hiſtorique des Plantes qui croiſſent dans la Lorraine & les Trois Evêchés*, *&c.* Morbos quoſdam contagioſos, (luem veneream putà) quibus inſitionem mox experturi laborabant, Inoculatione ipsâ fuiſſe integrè perſanatos. Verùm omnes hos ſcrupulos, omnes hos metus tollunt prudentes & in arte ſuâ, ut par eſt, periti Medici.

Si igitùr longè minùs periculum poſt ſe trahat Variolarum Inoculatio, & ideò majorem civium numerum ſocietati ſervet, ſi à recidivâ eximat, ſi Religioni non adverſetur, ſi veras Variolas efficiat & producat benigniores, (& hæc in noſtrâ Theſi demonſtrare conati ſumus,) cur

methodum tàm tutam, & humano generi tam salutarem rejiceremus?

Præterea venustatem omnibus hominibus, præsertìmque sexui sequiori adeò pretiosam, non defædare ratum est. Fertur enìm Circassiensem & Georgicam gentem femineam illibatam suam pulchritudinem, hujus methodi auxilio, conservare. Hoc scribunt *de la Mottraye*, *Voltaire*, &c. Undè ex iis omnibus lubentèr concludimus admittendam esse Variolarum Insitionem, seu Inoculationem.

Dubia circà Inoculandorum præparationem, reperire est in prælaudatâ Thesi.

An dentur media ad Variolas penitùs extirpandas ex Europâ nostrâ, & an Variolarum Insitio id possit præstare?

FINIS.

QUÆSTIONIBUS PHISIOLOGICIS RESPONDERE CONABITUR.

ERRORES TYPOGRAPHICOS LECTOR BENEVOLUS EMENDET.

ARGUMENTABUNTUR

R. R. D. D. PROFESSORES REGII :

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHÉS.